

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**LVII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

ferri eurabit. Statui Medicinæ operam dare, cuius descendæ si tu mihi brevem rationem præscribas, rem mihi longè gratissimam facturus es. Imperator Turcorum sine dubio appetente aestate, cum exercitu egressurus est. Hic annus de Hungaria statuet. Vale. Tuæ conjugi, Dominae mihi omni honore colendæ, meis verbis plurimam salutem dicio. Eperies. ipso die natali Christi, M D XLVI.

Lycurgi orationem expecto.

### Sigismundus Gelous.

LVII.

Michael Lucius A. Joanni Baptista Heintzelio,  
Viro Clarissimo, Consuli Augustano.

S. P. D.

**V**etus Joannis ab Hilten, quandoque Monachi Genacensis, patrone sapientissime, cum de aliis plurimis tum præcipue de hoc præsenti anno, in hunc modum extat vaticinium:

*Anno sexagesimo sibi caveat omnis homo.*

Hoc quam verum sit, præter alia multa declarat, proh dolor! insignis castis, ad quem exprimendum fateor mibi & mentem & verba deesse, Amisimus enim imo in vitam æternam præmisimus heri, Reverendum patrem Dn. Præceptorem Philippum, aurigam & rectorem currus Israel, Lumen Germanie & scholæ nostræ oculum fere unicum, quo nunc effuso quid aliud quam quod Demades de Alexandri exercitu gravissimè protulit, nobis sperandum sit, non video. Hoc præsertim turbatissimo seculo, in quo cum Diabolo pleraque ejus mancipia concertare, eumque quandoque superare videmus, adeò ut verè vaticinans quoque scripserit Statius:

*Non opus est furiis tantum mirantur & adstant  
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.*

Quod ideo hic referens præmitto, quod turbatum mundi statum, hominumque malitiam & atrocias scelera considerans, hos quoque versus inter ultima verba aliquoties recitat & adolescentibus ediscendos proposuit (proh dolor!) scholæ nostra lapsa nunc columna Philippus. Nunc ut brevis sim, (neque enim præ dolore & temporis angustia animum ad cogitandum componere valeo) de toto ejus morbo & signis obitum ejus antecedentibus sic habeto. Die Palmarum,

Tittt 2

qui

qui fuit 7. Aprilis, nocte primum usitato calculi dolore graviter laborare coepit, ad quem leniendum balneum ipsi sequenti die paratum est, & calculi aliquor, ut audio, per urinam evocati, adeo ut altero mox melius haberet die, & hora consueta prelegendo officio suo vacaret hilaris, suavissima quædam de Caroli Magni disciplina domestica (eousq; enim jam produxerat Chronicus sui laborem) proponens & tanti viri exemplo ad veram pietatem exhortans.

Mercurii die, qua erat parasse-

ve ad passionem Christi, propter concionem in templo habendam publicè nihil praelectum est. Hoc die cum nocte parum dormivisset, male affectus Prae-

ceptor sub vespertinam concionem in gravem febrem, qua tandem extinctus est, inci-

dit. Nihilominus tamen sequenti die Jovis & Veneris brevibus quidem sed jucun-

dissimis lectionibus de passione Christi & ejus fructu auditores (ut quotannis facere

solutus est) commonefecit. Quas si vestra expetit excellentia, descriptas ad vos

proximè mitram. Sabbati die publicè in templo more suo communicavit de

corpore & sanguine filii DEL. Unde domum rediens, se magis magisque morbo

& languore corporis gravari sensit, ideo se ad matutinam diei paschatis lectionem

ita compositus, ut valedicere filiolis suis (studiosos sic nominans) decteverit. Sed

Domini Camerarii ex Lipsia adventu retraetus & impeditus est. Rogavit enim

ille, ne in publicum, præterim ea hora, qua paroxysmus febrilis expectandus sit, pro-

diret. Ita domum retentus nusquam postea extra domum pedes extulit. donec

tandem 19. die Aprilis circa horam 7. vespertinam, post recitatam à se & (ut audio)

scriptam quoque confessionem, ex hac mortali vita magno sui reliquo desiderio in

ecclæstem scholam sublatus est.

Inter signa obitum ejus præcedentia & quidem significantia præter alia, quæ plu-

rima sparguntur, certa tantum hæc & evidenter duo addam.

Eo igitur, quo primum laborare coepit die, hoc est, postridie Palmarum, sicarius quidam, domum

quandam non procul à foro ingressus, cerevisia inebratus, miseram ibi mulierculam ex lecto puerperii in cellam præ furore ejus diabolico fugientem, prosecurus,

nescio quod vulneribus miserabiliter obtruncavit, cumque multa hæc luce fecisset, hora videlicet secunda dies, inox in ipsa cella deprehensus captivus in carcerem ab-

ductus, tertia tandem die decollatus & roræ impositus est.

Eadem nocte, mane ex rure in urbem venientes rustici in vicinis pagis ad Albini chasma apparuisse nar-

runt, quod secutæ sint virgæ ardentes quasi sex, statim in tres conversi, quarum

una supra collegium, altera arcis templum, tertia versus septentrionem posita con-

spœctæ sunt.. De hujus prodigiis significatione, cum & præceptoris sententiam

desiderarent reliqui Professores, M. Froschelius ecclæsiæ nostræ Diaconus, tam for-

te Philippum visendi gratia accessit, portentumque hoc ei exposuit.

Ad quod cum tamen aliis cogitationibus totus occupatus esset, Philippus præter hæc pauca

verba nihil protulit : Es ist noch zu leiden/ daß virgæ seyn/ significant paternam

tantum castigationem, hütt euch aber/ daß nicht gladii draus werden. Hæc

Phi-

Philippus. Nobis nunc eo facilius est explicatio, quod situs earum ex collegio Philippum nostrum ducem, ex arce vero Principem fortasse (nam & is male affectus est) avocasse credibile est. Ceterum haec vestrae dijudicanda relinquo prudentia. Quid vero obitum ejus haud dubie nobis & toti mundo fatalem, secuturum sit, superiorum exemplorum collatio, & horum temporum status turbulentissimus, satis ostendunt. Poenæ impendent, Imperia nutant, Ecclesia premitur & calumniis varie turbat passim, cuius tamen haec tenus saltē in his locis, D E O auxiliante, fidelem medicum se præstirit Præceptor noster precibus & labore docendi assiduo & indefesso. Eo nunc sublato, præter spem & illam quidem languidam, nihil nobis relictum est, nisi ut DEUM ardentibus votis pro conservatione Ecclesiæ oremus & mutuis operis suo quisque loco laboremus, ut eam, quam ab hoc dilecto DEI organo & misericordia ejus vase accepimus, doctrinæ puritatem conservemus & ad posteros transmittamus. Ideo etiam, quod ad me attinet, cum varia in hac scholæ dissipatio & studiorum distractione cogitarem, tandem eo delapsus sum, ut commodissimum mihi visum sit, si hoc, quod ad legitimam aliquam vocationem superest tempes, repetitioni eorum tribuam, quæ hoc ferè sexennio, quo Witebergæ vixi, ex ore ejus excepit atque collegi, simulque ea, quantum fieri potest, hoc semestri, donec novus in ejus locum sufficiatur Professor, concionando in usum transferam. Quod vel hanc ob causam ad vestram scribo præstantiam, Patrone amplissime, ut non solum de meo consilio & proposito vobis constet, sed etiam intelligatis, me defuncto & rebus humanis exempto Præceptore ad quaecunque conditionem, de sententia dignitatis vestrae suscipiendam, paratum esse, præsertim cum de successere ejus nihil magni nobis promittere possumus. Quis enim, ut Theocritus de Bione inquit:

μονὸν σᾶς σύγχρονοι μελαίστην ἀ τριπόδων;  
τὸς δὲ ἵπποι τοῖς καθάμαις θάσηι σόμη, τὸς θερέτρου ἄπται;  
τοτὶς γὰρ πτερίς τὰ σὰ κείλεια καὶ τὸ σὸν ἀπόμηγε;

Et ut maximè sit aliquis non vulgari instructus doctrina, Philippum certe ubique desiderabimus.

De sepultura & funere ejus, quod cras hora secunda futurum est, constat, ejus corpus, qua decet, reverentiā in arcis templo prope Lutheri tumulum, terræ demandandum esse, stannea inclusum cistā. Ibi quia futura sunt, si & illa vos scire velle intellexero, pari aut fortasse majori perscribam diligentia, hæc enim festinanter & in summo luctu exaravi, qui & veniam his literis incultis mereri debet. Valete & Lucium vestrum vobis commendatum habete, Vir & patrone colendissime. Data Witebergæ, 20. Aprilis die, (quo ante biennium Reverendus vir, Doctor Pomeranus, Ecclesiæ nostra Pastor, itidem ex haec lachrymarum valle ad aeterna gaudia cessit) Anno 1560.